

*de Spiritu Sancti.* Certe hæc Scripturæ testimonia clare demonstrant, primo Jesum Christum non mechanicam, sed vere humanam operationem instituisse. Secundo, non inanime aliquod instrumentum, ad Ministerium Ecclesiæ assumptum, sed Apostolos, instrumenta, scilicet, vere animata, & ratione prædita; jam vero operatio Sacramentalis actus humanus non est, si desit intentio, qua in suum finem dirigatur, ut recte advertit *Estius in IV. dist. 1. §. 23*; secundo inter animatum, & inanimatum instrumentum hoc interest, quod illud quidem nihil agit nisi per voluntatem & intentionem, hoc vero non ita; requiritur igitur in Ministro Sacramentorum intentio. Qualemcumque vero intentionem non sufficere, sed requiri saltem virtuales intentionem faciendi quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia, vel inde constat, quod qui talem intentionem non habet, neque in Christi commemorationem facit, neque in Spiritu Sancto, ut *Jo. 1.* legimus, conficit Ecclesiæ Sacramenta. Quia enim ratione in Spiritu Sancto Sacramenta conficere dicendus est, qui non habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit?

§. VIII. Hujus intentionis necessitatem ad valide Sacramenta conficienda agnovit semper Ecclesia. *Constantiense Concilium* vetustam fidem impollutam servare studiosissime nitens, Hussitarum, & Wiclefitarum errores damnat, & de hæresi suspectos interrogari jubet, an credant, quod malus Sacerdos, qui adhibet debitam materiam & formam, & habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vere baptizet, vere absolvat, & alia Sacramenta vere conficiat; constat ergo, necessariam esse in Ministris intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Idem patet ex *Florentino in Decreto Eugenii IV.* & ex *Tridentino sess. 7. can. 11.*

§. IX. Rationes Theologicæ eandem veritatem dilucide confirmant. I. Actio Ministri indifferens est, ut sit vel naturalis, vel Sacramentalis; ergo, ut sit Sacramentalis, debet ab eo per intentionem determinari. Ablutio e.g. in Baptismo est indifferens ad abluionem corporis vel animæ; ergo, ut abluionem animæ potius quam corporis significet,